

Orta nō est, suboritur post baptismū. Quod dici non posse probauit disput. 60. num. 14. Secundō, quia non entī nequit inesse qualitas aliqua nisi seruū. §. i. ff. de actio. empr. Ergo ei, quæ non est affinitas, nō potest in esse qualitas aliqua matrimonii impediēs.

Tandem, quā non obstant argumenta cōtraria nū. præcedenti posita. Nō primum, quia nulla est affinitas post baptismū, quæ tunc impediāt, vt probauit. Nec obstat etiā confirmatio. Quia consanguinitas est quid naturale, & proinde orta est tempore infidelitatis: & cum maneat post baptismum, impediēt tūc. At affinitas ex fornicatione non est tunc orta. Nec obstat etiam secundum argumentum. Quia Ecclesia in eo casu non impediuit directē infidelē, sed mulierem fidelem, in quam iurisdictionem habebat, ne illi infideli post baptismū nubat. Quod idem poterat statuere in nostro casu, at id non statuit. Et ideo hanc sententiam sustinent, Nauarr. lib. 4. consi. in. 1. e. ditione. tit. de sponfalibus, consil. 7. nu. 6. & 7. in 2. tit. de consanguinit. consil. 12. nu. 6. & 7. Enriquez lib. 12. de matrim. cap. 1. nu. 2. & cap. 3. nu. 4.

12. Similiter si fidelis rem habeat cū fidele, vel infideli femina, & illa habeat forem infidelem, non contraxit affinitatem cum illa sorore infideli, ac proinde eā esse hanc Christianam potest ducere: Si rem prima facie consideremus. Quia illa affinitas cū sit relatio nō potest absq; duobus extremis consistere, at infidelis illa nō potuit eam contrahere: cum nō subdatur legi Ecclesiasticæ, à qua sola vim habet ea affinitas. Non ergo orta est in eo fideli fornicante. Quod si tunc non est orta, videtur eā oriri non posse, cum soror altera baptizatur. Quia hæc relatio oriri nequit sine copula carnali noua, quæ est illius fundamentum. Nec enim potest intelligi ponē de nouo aliquā relationem, sine ratione fundandī in aliquo extremorum. Et confirmatur, quia ob hanc rationem, disput. 60. nu. 14. & 15. dixi fidelem baptizantem filium feminae infidelis, nullam contrahere cognationem spirituales cū matre, quæ tunc est incapax: & matre baptizata eam non cōualescere: ac proinde post eum baptizantem ducere post baptismum illam baptizati matrem. Hæc igitur rationes valde vrgere videntur ad hanc partem tuendam. At tenendū est contrariū, attenda cōsuetudine Ecclesiæ, quæ habet fidelem fornicantem cum femina fidele,

contrahere affinitatem cum sorore, quæ post multum temporis spatium nascitur ex parentibus illius femina: quæ non potest contrahi statim ac soror illa in lucem editur, sed cum baptizatur: & si diu non baptizetur, nō orietur ante baptismū. Quia soror illa non subiacet legibus Ecclesiæ donec baptizetur. Item quia obstat quod num. sequenti statuimus, nescio enim qualiter stare possit, nisi hoc dicamus. Et ideo exilimo quando alter ex fornicatibus est fidelis, eum cōtrahere per illam copulam affinitatem, cum consanguineis alterius fidelibus: statim, cum infidelibus autem quando cūq; baptizati fuerint, & ideo inter fidelem illum cum eis non posse consistere matrimonium. Quia fidelis ille tempore copulæ subiacebat legi Ecclesiæ statuenti ex ea copula oriri affinitatē cum consanguineis alterius quocumq; nati fuerint, & baptizati: vt ipsius Ecclesiæ consuetudo legem illam explicat. Vt probat exemplum adductum. Quod nec lex ecclesiastica, nec consuetudo habent in contrahēda cognatione spirituali, quādo tempore baptismi collati, alterum extremum incapax erat. Et cum hæc affinitas sit ex merito Ecclesiæ statutum, nō est mēsuranda iustitiam aliarum relationum, quæ ex rei natura consurgunt, sed vt Ecclesiæ statuit. Et per hoc cessant rationes cōtrariæ. At infidelis cū qua fidelis est fornicatus, nec tunc, nec post baptismum contrahet affinitatem cū consanguineis fidelis: quia tempore, quo erat contrahenda, non subiacebat legibus Ecclesiæ: & nullibi statutum extrahit, vt post baptismum cōualescat. Absq; dubio autem fidelis habens rem cū infideli habente forem fidelem, cōtrahet affinitatem cum sorore fidele. Quia tunc vtrumq; extremū subiacet legibus Ecclesiæ.

Hinc inferitur, fidelem cognoscentem carnaliter infidelē, si illa infidelis postea facta fidelis concipiat ex alio filiam, & baptizetur, contrahere affinitatem cum illa filia: & idem, si adhuc mater permanēs in infidelitate pareret illam filiam, & postea filia baptizaretur. Quia factis est ad affinitatem contrahendam, alterum ex fornicatibus, qui illam contrahiturus est, fidelis esse, & consanguineum alterius cum quo contrahenda est, vel tunc esse fidelē, vel post effici, vt nū. præcedenti probauit.

Ad argumenta nū. 8. proposita respondetur. Ad 1. dic diuersam esse rationē in

copula

copula coniugali, ac fornicaria. Quia per illam ita vir & femina coniunguntur, & sunt vna caro, vt inde naturaliter oriatur amicitia. Quod secus contingit in hac: potius enim odia, & rixæ pullulant. Præterea, licet illa ratio probet, iure naturæ optimo Ecclesiam statuisse hanc affinitatem: at nō probat esse eam de iure naturali. Nō enim omnia, quæ iure naturali inniuntur, sunt de iure naturali: sed quæ sunt per se nota, vel ex per se notis inferuntur. Quippe omnis lex iusta ratione naturali inniuntur: nec tamen omnis ius naturale contrinet. Ad secundum dic, D. Gregoriū non

significare ibi, eum coitum esse ordine naturæ incestum, sed tunc esse incestū, quando prius est habitus coitus ordine naturæ, id est, intra vas naturale cū consanguinea illius, cū qua admittitur modō fornicatio. Vt bene explicat glossa. eo. c. nec eā, verb. naturæ. Quam sequitur Nauar. n. 4. in duplici consilio ipsius, quod. nu. 9. allegauit. Et dum dicit esse incestum apud omnes homines, non dixit id absolute, sed bonos homines: & aperte loquitur de Christianis. Cū dicat, Christianos non posse id matrimonium inire: quia apud bonos homines esset incestus.

DISPUTATIO SEXAGESIMASEXTA.

An aliquis gradus affinitatis in linea recta, vel transuersa, sit ita iure naturæ interdictus, vt attento eodem iure matrimonium irritet?

SUMMARIUM.

Propositur vtilitas questionis: & qualiter cognoscatur matrimonium iure naturæ irritari. Remissio. n. 1.

Indecentia quadam est in huiusmodi coniugis. num. 2.

Quando affinitas est ex fornicatione, in nullo gradu irritat iure naturæ matrimonium. num. 3.

Quæ sunt questiones disputanda. n. 4.

An affinitas dirimat matrimonium iure naturæ in aliquo gradu lineæ rectæ? Refertur duplex sententia. n. 5. & 6.

Propositur sententia Authoris. n. 7.

An infideles coniuncti in primo affinitatis gradu lineæ rectæ sint separandi post baptismum? num. 8.

Soluntur argumenta. n. 9.

An in linea affinitatis transuersa debeat aliquis irritans iure naturali matrimonium? Refertur quadam opinio. n. 10.

Propositur sententia Authoris. n. 11.

Sarisfit argumentis. num. 12.

HIC premitendum esset, cui vsui quæstio hæc deserviat: & qualiter dignosci possit, an matrimonium iure naturæ interdicatur, vt eodem iure sit irritū. Sed hæc proposita sunt hoc libr. disput. 51. num. 1. & 5.

Nec dubitamus, an sit indecentia quadam naturalis in matrimonii initis cū af-

finibus in aliquibus gradibus, nisi causa aliqua preponderans iustas eas nuptias efficiat: id enim falsi sumus hoc libro, disput. 52. nu. 7. Sed difficultas eod pertinet, an ita iure naturali in aliquo affinitatis gradu nuptiæ interdicantur, vt eodem iure sint irritæ.

Et quidem quando affinitas oritur ex fornicatione, tanquā certum tenendum est, eam in nullo cuiuscunq; lineæ gradu dirimere iure naturali matrimonium. Quia ea affinitas ex solo iure Ecclesiastico consurgit (vt probauit disput. præcedenti, nu. 9.) Si ergo stando in iure naturæ ea affinitas nō erat, quomodo poterat, eo iure attentō, obstat matrimonio? Et ita dicit esse certum Petrus de Ledesma de matrim. q. 55. art. 6. circa primum statum affinitatis, difficultate. 2. conclus. 3. Quare audiendus non est Celsus. 4. d. 40. q. vnica post quartum argumentum, dubio. 1. vbi ait, interdictum esse iure nature matrimonium inter filiam & eum, qui cū eius matre fornicatus est. Nec etiam fides habenda est D. Antonino. 3. p. tit. 1. cap. 1. §. 1. statim in principio, vbi ait esse iure diuino vetitum matrimonium in primo gradu lineæ rectæ affinitatis ex fornicatione orta.

Difficultas autem est de affinitate consurgenti ex matrimonio. Quare duplex est discutienda quæstio. Prior de gradibus lineæ rectæ. Posterior de gradibus transuersæ.

D d Quæstio

5. Questio prior, An affinitas ex matrimonio confurgens dirimat iure naturæ matrimonium in aliquo gradu lineæ rectæ inter ascendentes, & descendentes? Triplex est sententia. Prima docet, in ea lineæ prohiberi iure naturæ matrimonium in quocunque gradu in infinitum. Dicitur eisdem rationibus, quibus id probatum est de consanguineis in hac lineæ, disput. 51. num. 12. Quia eadem reuerentia debetur affinis, ac consanguineis: & eodem modo ab utriusque abstinendum est. Vt num. sequenti probabitur. Et hanc sententiam sustinent Ioannes Andreas in arbore affinitatis: & ibi Præpositus num. 10. & 26. Henricus, c. non debet, num. 2. de consanguin. Paladanus, 4. d. 4. q. 1. art. 5. conclus. 1. num. 26. Alesius, 2. p. summa, lib. 8. tit. 25. art. vnico, sine. Supplementum Gabriellus, 4. d. 4. 1. q. vnica, art. 2. conclus. 2. Lambertinus de iure patron. lib. 2. p. 1. q. 9. art. 18. num. 10. Moralus, l. 4. paulo post princip. tit. 6. p. 4. Gregor. Lopez, l. 5. in fine, tit. 6. p. 4. Sylu. verb. matrimonium, 8. q. 15. dicto. 6. Petrus de Soto l. 10. de matrimon. vers. Secundum cum hac affinitas. Ant. Cucus lib. 5. in hinc maior, tit. 12. n. 23. Gaeta repetit. c. ad limina, 30. q. 1. §. 4. q. 213. nu. 504. & nu. 511. Philarcus de officio Sacerdotis, tomo. 1. p. 2. lib. 2. c. 12. vers. consanguinitatis. Soaccius, 1. p. de sponsal. super Infirmitate de nuptijs, §. affinitatis.

6. Secunda sententia tenet, in primo gradu affinitatis lineæ rectæ prohibitum, ac irritum esse matrimonium iure naturæ. Vt inter priuignam & noueram, vel priuignam & vitricum, socerum & nurum, socrum & generum. Dicitur primò, quia eodem modo abstinendum est ab affinis, sicut à consanguineis, cap. 1. de consanguin. & cap. aequaliter & cap. de propinquis, 35. q. 3. At in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ fatentur omnes iure naturæ irritari matrimonium. Et confirmatur, quia teste Philospho, 8. Ethic. c. 12. Sicut per propagationem carnis naturale quoddam amicitie vinculum contrahitur: ita per coniunctionem conjugalem ad propagationem carnis ordinatam. Sicut ergo illud irritat matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, ita & hoc. Secundò, quia filius eandem ferè reuerentiam debet noueræ, aut vitrico, quam parentibus: siquidem pater & noueræ, vitricus & mater, sunt facti per matrimonium vna caro: & nurus socero debet eandem ferè reuerentiam, quam

debet ipse vir, qui est filius eius, cum quo nurus facta est vna caro: & idem dicitur de genere respectu soceri. Et confirmatur, quia hic gradus proximè accedit ad primum consanguinitatis gradum in lineæ rectæ. In cuius signum Leuiticus, 18. simul ponuntur. *Turpitudinem matris tue, & vxoris patris tui non discooperies.* Et redditur vtriusque eadem ratio. *Turpitudinem enim patris tui est.* Atque proponitur ibi gradus hic ante primum gradum consanguinitatis lineæ transuersæ. Quem verior sententia habet iure naturæ irritare matrimonium. Vt diximus disput. 52. n. 11. Tertio, quia D. Paulus, 1. ad Corinth. 5. sic ait. *Omniò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes: ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* Si ergo Gentiles legimus saicæ minimè subiecti, sed solo naturæ lumine ducti existimabant nefas esse vxorem patris sui ducere: id vtique iure naturæ interdictum erit. Quardò, quia Genes. 49. Iacob morti vicinus spiritu prophetico maledixit Ruben primogenito suo, quod paternum thorum maculasset dormis eû patris vxore. Cum tamen alij libris grauioribus sceleribus infedis minimè maledixerit. Signum ergo apertum est, eû concubitum habere speciale deformitatem iure naturæ aduersus reuerentiam patri debitam. Nondum enim lex scripta illi specialiter prohibens lata erat. Et confirmatur, quia Amos, 2. inter alia nefanda referatur hoc, vt pater & filius cum eadem puella concubuerint, vt nomen Dei blasphemaretur. Quia exaggeratione minimè vitur sacra Scriptura, nisi in sceleribus, quæ talia apud Gentiles reputantur, ac inde scandalizantur, ac anam assumat irridendi legem Dei. Tandem, quia nunquam habentus auditum in Ecclesia est, vt Pontifex dispensaret in hoc affinitatis gradu. Ergo signum est, interdictum esse illum iure naturæ. Et hæc sententia est valde probabilis. Cui mirum in modum fauet D. Augustinus libr. 22. contra Faustulum, cap. 61. relatus, cap. si vir, & vxor, 35. q. 3. vbi sic ait. *Si vir & vxor non duo, sed vna caro sunt; non aliter est nurus deputanda, quam filia.* Et ideo huius sententia sunt D. Thomas in illud, 1. Corinth. 5. *Omniò auditur inter vos fornicatio, lectio. ne. 1. Paladanus, 4. d. 4. q. 1. art. 5. conclusio. 2. n. 27. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 11. §. 1. statim in principio. Sylu. verb. matrimoniu. 8. q. 15. dicto. 6. & verb. Papa. q. 17.*

Franciscus Sónius lib. 1. demonstrat. tract. 7. de matrim. c. finali. Victoria relectione de matrim. 2. p. partis secundæ, n. 5. sine. Catherinus in Caietanum lib. 5. c. de matrimon. fol. 493. Sotus, 4. d. 4. 1. q. vnica, ar. 3. columna antepenultima. Nauar. lib. 4. consiliorum, in 2. editione, tit. de sponsal. consil. 14. n. 8. ad finem. Couar. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 1. o. n. 6. Ledesma, 2. p. 4. q. 56. ar. 4. folio, 487. col. 4. paulo ante. 6. dubium. Viridesius in opus. c. de matrim. Regis Angliæ, in probatione sextæ hypothesis. Angles florib. 1. p. vbi de matrim. q. 14. ar. 1. diff. 2. Bellarm. libr. 1. de matrim. c. 28. paulo post princ. toto notabili. 2. Valentia, 4. p. disp. 10. q. 5. puncto. 3. vbi de impedimento cognationis, vers. tertio controuersia est. Vazquez, 1. 2. q. 74. ar. 8. disp. 112. n. 7. Bartholom. à Ledesma, de matrim. dubio. 42. conclus. 1. Ludouicus Lopez, 2. p. instruct. vbi de matrim. c. 50. folio, 1148. vers. igitur pro decisione. Viualdus candelab. sacram. 1. p. vbi de matrim. n. 204. Humada, 1. p. tit. 1. l. 2. glossa, 2. sine. Cañedo summa sacram. tract. de matr. c. 6. vbi de affinitate. nu. 47. in commento. Et dicitur esse probabile idem Ledesma, 2. p. 4. q. 56. ar. 3. dubio. 3. conclus. 2. & q. 57. ar. 3. ad finem. Et Petrus de Ledesma de matrim. q. 55. ar. 6. circa primum statum affinitatis, difficultate. 2. conclus. 1. & 2. vbi addit, esse quoque probabile de affinitate imperfecta, quæ ex matrimonio rato oritur. Et quæuis nò omnes hi Doctores explicent id matrimonium foreritum iure naturæ, sed dicant esse eo iure interdictum, subcentes sit irritum, necne: id (ni fallor,) volunt dicere. Et

7. Tertia sententia (cui tanquam probabili accedo,) ait, affinitatem ex matrimonio ortam in nullo gradu lineæ rectæ ita prohibere iure naturæ matrimoniu, vt illud irritum reddat: ac proinde, secluso iure Ecclesiastico, in quocunque gradu esse va-

lidum. Probatur primò, quia nò apud omnes gentes id matrimonium censetur interdictum. Nam Valerius Maximus lib. 5. c. 7. & Ptoarchus in vita Demetrii referunt, Seleuchum tradidisse filio suo Antiocho in matrimoniu Stratonice propriæ vxor: ac id factum laudat ipse Valerius Maximus. Et, 3. Reg. 2. Adonias filius Dauid peijt Abisæ Sunamitidem in vxorem: & illa erat vxor Dauid, vt constat ex 2. Regum c. vltimo. Signum ergo est, id matrimoniu non esse iure naturæ interdictum. Secundò, quia matrimonium in nullo gradu affinitatis lineæ rectæ initum opponitur primario, aut secundario ipsius matrimonij fini. Cùm posset ordinari ad sobolis propagationem, & remedium concupiscentiæ, & mutuum coniugiu obsequiu in rebus domesticis. Nec violatur in eo matrimonio debitus coniunctionis ordo, licet in eatur in primo gradu lineæ rectæ, vt inter priuignam & noueram, vel vitricum & priuignam: qualis violatio contingit in matrimonio inter parentes & filios. Non enim datur aliqua relatio naturalis superioritatis inter sic affines, quæ debito coniunctionis ordini opponatur: ac datur inter parentes & filios. Quia relatio naturalis superioritatis, ex qua oritur naturalis reuerentia debita superiori, solù fundatur inter eas personas, quæ dant, & accipiunt esse naturæ per naturalem generationem. Quales sunt parentes, non autem affines in primo gradu lineæ rectæ. Tadem, quia (vt dicemus numer. n.) certum est, attento iure naturæ, validum esse matrimonium in primo gradu lineæ transuersæ, vt cum vxore fratris: cù tamen facta sit vna caro cum fratre per matrimonium: & inter fratrem & sororem sit iure naturæ irritum matrimonium. Ergo noueram, & vitricum effectos esse per matrimonium vnam carnem cum parentibus non efficit, vt sicut cum his est iure naturæ irritum matrimonium, ita sit cum illis. Et ideo huius sententia videtur expressè D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. in solutione ad 3. vbi inter solos parentes & filios clarè dicere videtur prohiberi iure naturæ matrimonium. Et tenent Alexander Alesius, 2. p. q. 169. membro. 2. & 3. p. q. 27. membro. 4. artic. 3. §. 2. & quest. 35. membro. 6. Caietanus, 2. 2. quest. 154. artic. 9. circa solutionem ad 3. Aulensis in Regum. 8. q. 176. 149. 151. 152. Albertus Pighius controuersia. 3. ad finem. Supplementum Gabriellus, 4. d. 4. 1. q. vnica,

art. 3. dubio. 3. Anthona in summa Ecclē-
się. q. 53. artic. 5. & 6. Loazes de matrimo-
nio Regis Anglię. dubio. 2. in solutione ad
secundum fundamentum partis negantis,
à. n. ad. 19. & n. 20. Taper. ar. 20. Louanię
si. pag. 6. in mediã ante vers. ex quibus
manifestum est. Armilla verb. dispensare,
n. 9. & 10. Ledesma. 2. p. 4. q. 56. artic. 3.
dubio. 3. conclus. 1. Veracruz. 2. p. Specu-
li. ar. 25. conclus. 5. & melius pagina ante-
penultima, vers. ex omnibus istis. Ouan-
dus. 4. d. 41. q. vnica, propositione vltima.
Enriquez lib. 12. de matrim. c. 1. n. 2. & c.
9. n. 5. Petrus de Ledesma de matrimo-
n. q. 55. ar. 6. circa primum statutum affini-
tatis. 3. p. c. 8. §. 19. initio. Et dicunt esse
probabilem Sotus, Bartholomæus à Le-
desma, Ludouicus Lopez num. præceden-
ti allegati.

8 Hinc deducitur, quauis retenta secun-
da sententia dicendū sit, infideles coniu-
ctos in primo affinitatis gradu lineæ re-
ctæ separandos esse, cum baptizantur: utpote
qui coniuncti sunt in gradu iure naturæ
irritanti: & ita dicit esse fortè verum So-
tus. 4. d. 41. q. vnica, art. 3. columna vlti-
ma, vers. at verò: at retenta nostra senten-
tia eos separandos non esse: nisi legibus eo-
rū id matrimonium irritetur. Quia id ma-
trimonium non est iure naturæ irritū, sed
solo Ecclesiastico, cui ipsi non subsunt. c.
gaudemus, de diuort. Sic docent Veracruz
2. p. Speculi, ar. 25. columna antepenulti-
ma, vers. ex omnibus istis. Enriquez lib.
12. de matrim. c. 9. n. 5.

9 Ad argumenta. n. 6. proposita respōde-
tur. Ad primū dic, dū ea iura dicunt æqua-
liter esse abstinentiā ab affinis, ac à prop-
rijs consanguineis, intelligi nō de æqua-
litate absoluta, attento solo naturæ iure:
sed de æqualitate impediendi matrimo-
nium attenta lege Ecclesiastica, quæ cum
vtrifque irritat. Ad confirmationem res-
pondetur, inde solū probari, ex matrimo-
nio affinitatē ortam esse quoddam natu-
ræ amicitie vinculum: quod disp. præce-
denti. nu. 4. falsi summat (vt ibi. n. 1. probauit)
non inde sequitur affinitatē iure natu-
rali dirimere matrimonii. Ad secundū
constat ex dictis. n. 7. in secunda, & vltima
probatione nostræ sententiæ. Ad confir-

mationem dic, simul poni eos gradus ob-
maximam, quam inter se habent, similitu-
dinem: non tamen quia in ijs eodē modo
sit interdictum matrimonium. Ad alia par-
tem eiusdē confirmationis dic, reddi eadē
rationem, non quasi profus eadē sit, sed
quia est similis: & ob id proponi ante
primum gradum lineæ transuersæ con-
sanguinitatis: quauis in hoc prohibeatur
matrimonium a priori iure, nempe, natu-
rali. Ad tertium dic, loqui D. Paulum de
vxoze patris adhuc viuentis, vt testantur
Caiet. & Sedulius, & multi alij in eum lo-
cum.) Alias non dixisset D. Paulus eius-
modi peccatum non esse auditum inter Gē-
tes. Quia (vt. n. 7. probauimus,) volente pa-
tre adhuc viuo Antiochus vxorem eius
duxit: & Perse, mortuo patre, vxorem eius
ducebant. Vnde vt testantur præfati Au-
thores, loquitur D. Paulus de vxore pa-
tris adhuc superstitis, & renitentis. Ad
quartum, & confirmationem dic, peccatū
Rubē fuisse grauissimum propter grauissi-
mam adulterij iniuriam illatam patri: ob
quam rationem id peccatum fuit contra
ius naturæ: quāuis, eo attento, nō esset in-
cestus. Et eodē modo accipiendus est lo-
cus Amos. 2. in confirmatione adductus.
Ad vltimum dic, id argumentum probare,
contrariam sententiam esse valde probabi-
lem: & habere indecentiam magnā eius-
modi matrimonia attento iure naturæ, ni-
si causa aliqua iusta præponderet. (vt. n. 2.
diximus.) Et ob id Pontifices nolūt in eo
gradu dispensare. Non tamen inde coniu-
ctus, ita esse iure naturæ vitium, vt sit ir-
ritum tale matrimonium.

10 Quæstio posterior. An aliquis gradus
affinitatis ex matrimonio ortū ita impe-
diat in linea transuersa, iure naturæ atten-
to, matrimoniu, vt eodē iure illud irritet?
Quidam enim in primo gradu affinitatis
lineæ transuersæ esse iure naturæ interd-
ctum matrimonium. Vt si quis ducat vxorē
fratris: vel si scemina nubat viro
sue fororis. Ita sentiunt Authores exilim-
antes omnes gradus Leuitici. 18. prohi-
bitos obligare nūc, eò quod lege quoque
naturali interdū sint: (quos retuli disp. 52.
n. 5. Et ibi eorum rationes attuli: hic e-
nim gradus erat quidam ex ibi veritis.) Et
præter rationes ibi adductas probatur pri-
mò, quia inter fratrem, & sororem est iure
naturæ irritum matrimoniu. At vxor
fratris reputatur ac foror, utpote quæ per
matrimonium effecta est vna caro cum

fratre. Secundò, quia D. Ioannes Baptista
(vt constat ex. c. 14. D. Matth. & c. 6. D.
Marci,) grauiter increpauit Herodem,
quòd vxorem fratris sui duxisset. Et D.
Augustinus de fide, & operibus. c. 19. di-
cit ambiguum esse, an Philippus frater He-
rodus tunc viueret. Et esse mortuum tenet
D. Chysostronus homilia. 41. in D.
Matth. At Herodes, qui Gentilis erat, nō
astringebatur lege Moysi, sed sola natu-
rali. Tertio, quia cap. gaudemus, de di-
uort. decernitur, infideles coniunctos in
secundo gradu separandos non esse. Vbi
tanquam notum relinquitur, secus esse in
primo gradu. Ac proinde in hoc gradu e-
rit irritū iure naturæ matrimonium. Alias
infideles separandi non essent.

11 Sed dicendum est, nullum gradum af-
finitatis in linea transuersa adeò esse prohi-
bitum iure naturæ, vt eo attento irritet ma-
trimonium: quauis aliquam præ se ferat
naturalem indecentiam, nisi causa ali-
qua iusta cohonestetur. (Vt dixi num. 2.)
Probatur primò, quia Innocent. III. cap.
finali de diuort. dispensauit cum infideli-
bus recens conuersis, propter infirmita-
tem eorum, vt vntur matrimonij ini-
tium con relicti fratrum. Et Alexander VI.
dispensauit in eodem gradu cum Rege Lu-
sitaniæ. Et Iulius II. cum Henrico VIII.
& Catharina Regibus Angliæ. Et postea
Clemens VII. consultis totius orbis illu-
stribus vniuersitatibus, & maturissimo Cō-
silio habito decreuit autoritate Pontifi-
cia fuisse legitimam dispensationem. Quod
decretum refert ad verbum Castro libr. 2.
de lege pœnali. c. 12. & multi viri doctissi-
mi varios edidit tractatus in huius veri-
tatis confirmationem. Secundò, quia Iac-
ob vir sanctissimus duxit Liam, & Rache-
lem forores. Genes. 29. Et Iudas Gen. 38.
dedit eidem mulieri duos fratres in viros.
Et Deuteronom. 27. iubebat lex Vetus, vt
frater duceret vxorem fratris line liberis
defuncti. Tertio probatur omnibus ratio-
nibus adductis. n. 7. ad probandum, in nul-
lo gradu affinitatis lineæ re-ctæ irritari iure
naturæ matrimonium. Nam à fortiori probant
in linea transuersa. Quarto, quia ar-
gus est vinculum inter consanguineos in
secundo gradu lineæ transuersæ, quàm in-
ter affines in primo gradu eiusdem lineæ:
illi enim ab intrinseco per eiusdem sangui-
nis participationem coniuncti sunt: hinc
quasi ab extrinseco. At inter illos non
est irritum iure naturæ matrimonium, sed

(solo Ecclesiastico. Vt constat ex. c. gaude-
mus, de diuort. Tandem quia rationes cog-
entes ad dicendum iure naturæ irritari
matrimonium in primo gradu consanguini-
tatis in linea transuersa, quas retuli dis-
put. 52. nu. 2. non procedunt inter affines
in eodem gradu lineæ transuersæ. Quia hi
non simul habitare coguntur, tanquam ab
eisdem parētibz educandi, immò cū vxor-
ibus domicilium paternum mutant: nec
tam arcta necessitudine coniunguntur, ac
fratres, & sorores. Et ideò hanc certissi-
mam sententiam tenentur omnes Doctores
num. 7. relati, & multi alij viri doctissimi,
qui varios tractatus edidit in fauorem ma-
trimonij Regis Angliæ Henrici VIII. cū
Catherina, qui ob id irritum esse contē-
debat, nec potuisse Pontificem dispensare,
quòd ea prius nupsisset fratri ipsius Hē-
rici, ac matrimonium cum duobus fratri-
bus sit iure naturæ irritum. Et Caietan.
tomo 3. opusculorum, tract. 13. de coniu-
gio cum relicta fratris, ad Regem Angliæ,
& tract. 14. de eodem coniugio ad Clemen-
tem VII. Victoria relect. de matrim. 2. p.
partis secunde n. 6. & 8. Couar. 4. decret. 2.
p. c. 6. §. 10. nu. 7. 8. 9. & 10. Ledesma. 2. p.
4. q. 56. ar. 4. folio. 488. columna 1. Bellar-
minius lib. 1. de matrim. c. 28. statim in
principio, & columna. 2. notabili. 2. Valen-
tia. 4. p. disput. 10. q. 5. puncto 3. vbi de im-
pedimento cognationis, vers. in alijs autē
gradibus. Sotus. 4. d. 41. q. vnica, ar. 3. con-
clus. 2. Bartholom. à Ledesma de matrim.
dubio. 42. concl. 2. Petrus de Ledesma de
matrim. q. 55. ar. 6. circa primū statū affini-
tatis, diffiç. 3. Ludou. Lop. 2. instr. c. vbi
de matrim. c. 50. folio. 1148. Manuel. 1. to-
mo summe. 2. editione. c. 228. n. 3.

12 Ad argumenta nu. 10. proposita dic, Ad
primum, eos nō esse verè, & propriè vnā
carnē, & ita non concludi, tā arcto vinculo
prohiberi matrimoniu inter illos, ac inter
fratres. Ad secundum dic, Herodem, vi-
uente fratre Philippo, vxorem eius contra
omne ius duxisse. Vt testantur D. Thom.
in illum locum Matth. & Beda in eum lo-
cum Marci. 6. & Iosephus lib. 18. Anti-
quitatum. c. 6. & multi alij. Vel secundò
dic, Herodem tanquam filium eiusdem
Iudei alitū fuisse lege Moysi, quæ tūc
nondum spiratæ vsque ad mortem Chris-
tri, idque matrimoniu vetabat: quod eius
frater liberus reliquisset. Ad vltimum dic,
esse ibi sermonem de gradibus consanguini-
tatis.

DISPUTATIO SEXAGESIMASEPTIMA.

Ad quatum affinitatis gradum extendatur prohibitio matrimonij iure Ecclesiastico, siue affinitas ex copula licita, siue illicita sit:

SUMMARIUM.

Enotatur quatuorplex affinitas olim fuerit, & quot eius gradus veriti. n. 1.

Hodie unicum est affinitatis genus. Nec ex affinitate oritur affinitas inter consanguineos affinium. Et enodatur, qui horum possunt inter se matrimonio copulari. numer. 2.

Ad quatum gradum extendatur olim prohibitio matrimonij inter affines ex copula licita, vel illicita. n. 3.

Per Tridentinum restricta est affinitas ex fornicatione ad secundum gradum, ultra quem nec impeditur etiam sponsalia, licet ante Tridentinum ea affinitas contracta esset. numer. 4.

Affinitas ex matrimonio non est restricta. numer. 5.

An sola affinitas ex simplici fornicatione restricta sit. n. 6.

An sit incestus accessus ad consanguineam eius, cum qua quis fornicatus est, ultra secundum gradum? Refertur sententia. n. 7.

Proponitur sententia Auctoris. n. 8.

An dispensatione facta cum consanguineis duobus, ut matrimonio copulenter, copula inter illos sit incestus. n. 9.

Quando superuenit affinitas matrimonio, an impediat debitum petiti: & si matrimonium est ratum, tenetur incestuosus religionem ingredi? Remittitur. Et an dirimat priora sponsalia. n. 10.

Antiquitus triplex erat affinitatis genus matrimonij contractu subsequente irritans. Primum erat inter personam copula licita, vel illicita cognitam, ac eius consanguineos: & e contra inter eam personam cognitam, & consanguineos cognoscentes. Vt constat ex toto tit. de eo, qui cognouit, consanguin. Secundum erat inter verum affinem, & maritum, seu uxorem sui affinis. Verbi gratia. Petrus est affinis Marię uxoris fratris sui, si mortuo fratre Maria nubat alicui, cum hoc viro habet Petrus affinitatem secundi generis. Ter-

tium erat cum marito, vel vxore illius coniuncti secundo affinitatis genere. Vt in exemplo posito, si vir ille posterior Marię duat factus viduus aliam, hæc est coniuncta Petro tertio affinitatis genere. Habentur hæc duo genera, e. porro. & c. de propinquis. 3. q. 3. & ita ex affinitate oriebatur affinitas.

Cæterum hodie solum primum affinitatis genus vim habet, nempe, inter habentem carnalem copulam, siue licitam, siue illicitam, & consanguineos mulieris cognita, & e contra inter mulierem cognitam, & cognoscentis consanguineos. Nec ex affinitate oritur iam affinitas. Sic enim statutum est in Concilio generali Lateranensi, & habetur capit. non debet, de consanguinit. & affinitat. Quare hodie consanguinei vxoris efficiuntur affines mariti, & e contra: at inter consanguineos mariti, & consanguineos vxoris nulla prorsus est affinitas, nec inter affines oritur aliud vinculum cum quacunque alia persona. Vnde filia vxoris ex alio matrimonio habita, aut ex fornicatione cum altero, potest nubere filio, aut fratri viri. Et dua sorores possunt nubere duobus fratribus. Habetur expressè cap. quod super his, de consang. & affinit. Item potest quis in vxorem accipere reliquam à proprie vxoris fratre. Item diuersis temporibus potest quis plures feminas vxores sibi accipere, quæ cum pluribus fratribus matrimonium contraxerant. Vt Ioanna, & Maria nupsere duobus fratribus, potest Petrus Ioannam viduam esse tam duce-re, & ea mortua Mariam. Similiter Petrus duxit vxorem Pauli, & Paulus quandam non coniunctam Petra, nec sibi, sed extraneam, possunt soluto vtroque matrimonio, illud inter se inire Petrus, & illa vxor Pauli. Quod nulla hodie ea affinitate coniunctio pullulet. Sic alijs citatis docet Couarrub. 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 7. num. 6.

Rursus iure antiquo interdictum erat, ac irritum matrimonium cum alterutris

coniugis consanguineis, sicut cum proprijs, vsque ad septimum gradum, & ita vsque ad illud extendebatur affinitas. Vt constat ex c. nullum, & c. equaliter, quæ sunt ex Iulio Pontifice. 3. q. 3. Ac restricta est per c. non debet, de consanguin. & affin. ad quartum gradum. Et quantum nec in antiquiori iure dum extendebatur ad septimum gradum, nec in nouiori restringente ad quartum, mentio fiat de affinitate ex copula illicita, sed de orta ex coniugali, nec ius inuenierim explicans in illa gradu. At cum ex iure canonico constet, ex copula illicita oriri affinitatem, sicut ex licita, e. discretionem, de eo, qui cogn. consanguin. iure optimo vniuersi Doctores, consuetudine sic explicante, metiuntur gradum affinitatis ex copula illicita, iuxta gradum ortæ ex illicita: & vtramque ad eundem gradum extendunt, attento iure antiquo. Et ita supponit fuisse Tridentinum sess. 24. de matrim. c. 4. dum affinitas ortam ex fornicatione restringit ad secundum gradum. Rationes autem huius prohibitionis sunt eadem, quas disput. 53. n. 3. attuli de prohibitionis gradum eorundem consanguinitatis.

Nouissimo autem Tridentini decreto sess. 24. de matrim. c. 4. restricta est affinitas ex fornicatione confurgens, ad secundum gradum: his verbis. *Sancta Synodus impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu coniunguntur, restringit: in vterioribus vero gradibus statuit, huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.* Et quantum dubitatum fuerit à quibusdam viris petitis, an affinitas ex fornicatione impediret subsequens matrimonium, quantum illud non dirimeret instar voti simplicis, & aliorum impedimentorum tantum impedientium. Antiquum non modicam dubitandi præbebat prædictum Tridentini decretum. Quod non videatur omnino eam affinitatem restringere, sed limitare, quatenus matrimonium dirimebat: & à iure veteri statuenti eam impedire, & dirimere, recedendum non sit, nisi quatenus ius nouum corrigat. I. præcipimus. C. de appellat. Quæ ratione conuictus Nauar. summa Latina antiqua cap. 22. num. 43. tenuit hanc partem. Sed postea vifo motu proprij Pij V. in quo declarauit oppositum, mutauit sententiam in noua editione. Eum motum proprium

edidit anno 1566. & incipit, Ad Romanum Pontificem. Verba autem declarationis sum hæc. *Declaramus, & auctoritate Apostolica decernimus, nullam hodie impedimentum remanere, quominus in vterioribus gradibus huiusmodi libere, & licite matrimonium contrahi possit.* Quod decretum merito vti-tur verbo. Declaramus, quasi non sit nouum ius, sed declaratio decreti Tridentini, quasi re vera ipsum voluerit auferre prorsus prædictum impedimentum, licet verbis limitatis videatur vti, ibi. *Matrimonium postea contractum non dirimere.* Et ratio est, quia omne impedimentum dirimens ex eo solum habet impedire, quod dirimat, (cum impedimentum dirimens sit eminenter impediens) & proinde cum tollitur impedimentum quatenus est dirimens, tollitur etiam quatenus impedit. Quare nec affinitas ex fornicatione dirimit, aut impedit sponsalia subsequente, aut præcedentia, ultra secundum gradum. Quia eadem sola ratione, qua impedit matrimonium, impedit sponsalia: ergo illud non impedit ultra secundum gradum, nec etiam impedit hæc. Et ita docent referentes sic declarasse Cardinales, Petrus de Ledesma de matrim. q. 55. ar. 3. dubio vltimo. Manuel. i. tomo summe. 2. editione, cap. 228. n. 4. Vega. 2. tomo summe. c. 34. casu 53. Nec affinitas contracta ex fornicatione ante Tridentinum vsque ad quartum gradum, durat postea, sed similiter restricta est vsque ad secundum. Vt declarauit Pius V. in quodam proprio motu. Vt referunt Veracruz appendice ad Speculum, vbi de impedimento affinitatis, in fine. Petrus de Ledesma dubio. 6. Et manuel proximè allegati.

Hinc deducitur, affinitatem ex matrimonio ortam non esse restrictam per Tridentinum, sed hodie dirimere matrimonium vsque ad quartum gradum: sicut statutum erat. c. non debet, de consang. & affin. Quia Tridentinum sess. 24. de matrim. c. 4. restringens affinitatem expressit ex fornicatione contractam. Et cum sit fortius vinculum affinitatis ortæ ex copula coniugali, non sequitur, vt illa restricta, censetur hæc quoque coarctata. Adde Tridentinum voluisse restringere affinitatem ex fornicatione, quod hæc sepius occultè contrahatur, & ex hac non oriatur vinculum aliquod amicitie inter affines. Quæ rationes cessant in affinitate ortæ ex copula coniugali. Et ita, tanquam rem certissimam, docent

Natur. summa Latina. c. 22. nu. 47. Veracru-
z appendice ad Speculum, vbi de im-
pedimento affinitatis, folio. 77. Quandus
4. d. 41. q. vnica, propositione. 6. in fine.
Maiolus lib. 3. de irregular. cap. 25. nu. 13.
5. affinitas. Lara. l. si quis à liberis, in prin-
cipio, num. 90. ff. de liber. agnosc. Angles
floribus. i. p. vbi de matrim. q. 14. art. 1.
difficu. 1. Palacios. 4. d. 41. disput. vnica,
columna. 33. vers. affinitas, folio. 930. Pe-
rez lib. 8. ordinamenti, tit. 17. l. 5. colum-
na. 3. folio. 315. Azebedo libr. 8. recopil.
tit. 20. l. 7. n. 9. Ceruantes. l. Tauri. nu.
33. Medina lib. 1. summa, cap. 14. §. 18.
Toledo lib. 7. summe. c. 11. nu. 4. Valentia
4. p. disput. 10. q. 5. pun. 80. 3. vbi de impe-
dimento affinitatis. Bartholomæus à Le-
desma de matrim. dubio. 41. conclus. 1.
Enriquez libr. 12. de matrim. cap. 10.
num. 1. in commento. litera. H. Emmanuel
Sa summa, verb. matrimonium, vbi de im-
pedimentis dirimentibus, num. 13. Graf-
fis. 1. p. de citionum, lib. 12. cap. 80. num. 4.
Petrus de Ledesma de matrim. q. 55. art. 6.
paulo post principium. Philiaricus de offi-
cio Sacerdotis tomo. 1. p. 2. lib. 2. c. 12. vers.
consanguinitatis. Manuel. 1. tomo summe.
2. editione. c. 228. n. 4. Vega. 2. tomo sum-
me. c. 34. casu. 53. Vivaldus candelabro sa-
crament. 1. p. vbi de matrim. n. 205. Llamas
3. p. methodi curationis. cap. 8. §. 19. &
omnes.

Sed an nomine fornicationis intelligat
Tridentinum, dum affinitatem ex ea or-
ta restringit ad secundum gradum, omnem
illicitum concubitum, an solum fornicationem
simplicem condistinctam contra
adulterium, stuprum, & ceteras luxurie
species: non videtur constare ex ipso Tri-
dentini contextu. Quia scilicet. 24. de matri-
mon. c. 4. restringens eam affinitatem, solum
ex fornicatione ortam exprimit. At fornicatio
proprie loquendo est nomen specia-
le simplicis fornicationis, quæ habetur in-
ter solutos, & distinguitur contra alias lu-
xurie species. Vt docet Gelafius Ponti-
fex relatus. c. 2. §. q. 1. Et verba in decretis
rectoria sunt, quale est hoc. Et ita Veracruz
in appendice ad Speculum, vbi de impedi-
mento affinitatis dicit, non satis sibi con-
stare, quid sit desiniendum. Verum absque
dubio mens Tridentini fuit, fornicationem
accipere genericè, prout omnem illicitum
concubitum complectitur. Quod in sacris
litteris valde frequens est. Vt Tobia. 4.

Attende tibi, fili mi. ab omni fornicatione. Et
ad Ephes. 5. ad Colossenses. 3. A Num. 15.
Quia in omni copula illicita procedit ratio
mouens Tridentinum ad prædictam res-
trictionem, nempe, ex ea non oriri amicitia
vinculum: & committere ignorari: ac
proinde multa damna pullulare ex eo im-
pedimento, ni restringatur. Quare hanc
partem tueretur, licet titubans, Veracruz
ibidem. Eandem tenet Quandus. 4. d. 41.
q. vnica, propositione. 6. in fine. Pro eadem
sententia sunt Nauarrus, Lara. n. 91. Angles,
Perez. Palacios, Azebedo, Toledo, Valen-
tia, Bartholomæus à Ledesma, Petrus à Le-
desma, Grassis, Philiaricus, Vivaldus num.
præcedenti allegati. Salzeder addition. ad
Bernardum Diaz præctica canonica. c. 84.
ad finem. Gutierrez lib. 1. q. canon. c. 25. n.
nu. 3. Ludouicus Lopez. 2. p. infrascriptorij,
vbi de matrim. c. 50. fol. 119. vbi indistin-
ctè dicunt, affinitatem ex copula illicita or-
tam, esse restringendam per Tridentinum.

Uterius dubitabis, an hodie sit incestus,
an potius simplex fornicatio, accessus ad
consanguineam intra tertium gradum eius,
cum qua prius idem mens fornicatus fuerat?
Videtur enim incestus. Quia Tridentinum
scilicet. 24. de matrim. c. 4. non prorsus ab-
stulit affinitatem ex fornicatione consur-
gètem, sed in quantum matrimonio incedo
obstabat. Vt eius contextu constat:
nec voluit fauere fornicantibus. At limita-
ta causa limitatum producit effectum. Iam
cum Geminiano. C. de transact. maxime cū
id decretum sit correctorium. Remanet er-
go affinitas in eo tertio gradu ex priori
fornicatione producta, ad eum effectum, vt
accessus personæ sic affinis sit incestus.
Præterea, quia etsi expedit matrimonij
impedimèta restringi: at nō licet ampliari
licentiã admittendi delicta. Quæ vtiq; am-
pliaretur, si iam ultra secundum gradum
affinitatis, non esset incestus punibilis. Et
ideò hanc partem censet probabilem Petrus
de Ledesma de matrim. q. 55. art. 3.
dubio 5. & ipsomet in summa sacram. vbi
de sacramento penitentia. c. 19. fol. 630.
vers. hanc de aduertit, tantum appellat
valde probabilem contrariam sententiam,
quali hanc quoque probabilem reputet. Et
Azebedo libr. 2. recopil. tit. 20. l. 7. num.
42. sine, questione hac vtrinque disputa-
ta, anceps manet, ac cogitandum relin-
quit.

At mihi certum videtur, eum non esse
incestum. Ducor, quia nullibi reperitur.

specialis prohibitio accessus ad affines,
sed tantum est incestus, ac specialiter pro-
hibitus, eò quòd inter illos interdicitur
matrimonium, ob reuerentiam affinitatis
debitam: quæ etiam ratio inuenitur in co-
pula illicita: & ideò tota prohibitio copu-
la promanar à matrimonij prohibitione,
estq; illi accessoria (vt probat disput. 5. n.
7. & 8.) Ergo cessante matrimonij prohi-
bitione, cessat tanquam accessoria prohi-
bitio copulæ specificæ, ac proinde accessus
ille non erit incestus, sed simplex for-
nicatio. Secundò, quia iure communi im-
pediebatur matrimonium vsque ad septi-
mum consanguinitatis, & affinitatis gradum
(vt dixi num. 3.) & postea restricta est con-
sanguinitas, & affinitas ad quartum gradum
cap. non debet, de consanguin. & affin. &
vniuersi fatentur iam accessum ultra quar-
tum gradum ad consanguineos, vel affines
non esse incestum. Cum tamen textus. d.
cap. non debet, nil dicat de incestu, sed tan-
tum non prohiberi deinceps matrimonium
ultra quartum gradum, ibi. *Prohibitio quoq;
copulae conjugalis: quarum consanguinitatis,
& affinitatis gradum de cetero non excedat.*
Ergo vt accessus ad affines ex copula for-
nicaria non sit incestus ultra secundum gra-
dum, satis est vt ultra eum sit iam sublata
ea affinitas ad effectum impediendi mat-
rimonium. Tandem hoc constat ex doctrina
Caietani, & aliorum, quos, nu. sequenti
referam. Nec obstant argumenta contra-
ria sententiæ relata, nu. præcedenti. Quia
ex dictis patet solutio, eum enim pendeat
eum accessum esse incestum ex prohibitio-
ne matrimonij, eò ipsò quòd hæc cessat,
cessat quoq; incestus ratio: vnde non di-
cenda est illa limitata causa respectu effe-
ctus impediendi matrimonij, ita vt exclu-
dat tolli simul rationem incestus. Quia hic
effectus pendet in fieri, & conseruari ex
priori, nec obstat, si quispiam ob suam ma-
litiã inde peccadi liberius anam sumat.
Quia id non intendit Ecclesia. Et ideò hæc
sententiam sustinent, Medina, Salzedo, Lla-
mas, nu. 6. allegati. Gutierrez lib. 1. quest.
canon. cap. 23. num. 3. Alcozer summa, cap.
20. vers. el penitente. Ceruantes. 1. 9. Tau-
ri, nu. 33. & 38. Emmanuel Sa summa, verb.
luxuria, numer. 2. Manuel. 1. tomo summe
2. editione cap. 209. nu. 2. conclus. 2. & hanc
dicit multò probabiliorè Petrus de Le-
desma de matrim. q. 55. art. 3. dubio. 5. & ma-
nifestè est huius sententiæ Veracruz appè-
dice ad Speculum, vbi de impedimento af-

fininitas, ad finem, fol. 80. vbi ait alios gra-
dus affinitatis ex fornicatione, vltra seculum
dum, ita semotos esse per Tridentinum,
ac si nunquam fuissent.

Ex his deducitur, quid dicendum sit, si
postquam duo consanguinei, aut affines
obtinere dispensationem ad inendum
matrimonium, fornicentur, an is accessus
sit incestuosus. Et quid si ordinarius, cui
Pontifex (vt fieri solet,) comisit vt si pre-
ces veritate nitantur, dispense, nondum
dispensar: manifesta res est, illum esse in-
cestum. Quia nondum est ablata inter il-
los prohibitio matrimonij per dispensationem.
Quare si tunc illud contraherent, esse-
ret vtiq; irritum. Difficultas autè est, post-
quam ordinarius dispensauit. Quoniam Ma-
ioris. 4. d. 40. q. 2. argumto. 4. propo-
sitione. 8. & Gallego de cognat. spirit. c. 24. n.
17. vers. tertio, sententiã diuersam esse quã
lo lege communi, & quando privilegio
specialis dispensationis, tollitur impedi-
mentum affinitatis, vel consanguinitatis:
& sic quauis in priori casu cesset ratio in-
cestus, non tamen cessare in posteriori.
Quia lex communis omnino tollit consan-
guinitatem, vel affinitatem in eo gradu. At
Pontifex solum dispensat ad effectum con-
trahendi matrimonij. Ceterum mihi nul-
lò probabilius est (ne dicam certum) nul-
lum esse incestum. Tum propter doctrinã,
quam tradit Caiet. summa, verb. incestus,
initio: & ibi Armilla initio. Vega. 2. tomo
summe, c. 5. casu. 1. initio, vbi dicunt ince-
stum esse, quando inter consanguineos, vel
affines sit commixtio, absq; dispensatione
matrimonij. Quæ cum hic adit, manife-
stè non erit incestus. Tum etiam, quia nu.
præcedenti probauit iure communi tantum
tolli alios consanguinitatis, & affinitatis gra-
dus, ad effectum non impediendi mat-
rimonium: & non posse esse incestum, ablata ma-
rimonij prohibitione. Quæ æque tollit-
tur quoad hos per specialem dispensatio-
nem: sicut quoad omnes per legem gene-
ralem.

Tandem quando affinitas superuenit ma-
trimonio, qualiter impediatur eius vsus: &
si matrimonium non sit consummatum, an
reaneat incestuosus ingredi religionem:
dicam lib. 10. disput. 27. & sequentibus.
Id tamen est apud omnes indubitatum, af-
finitatem sponsalibus de futuro superue-
nientem illa dissoluere, Quia matrimonij
perfici nequit, propter impedimètum affi-
ninitatis dirimens.